

Ann. VI.

Num. II.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis; *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

VARSAVIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15.

Apud "KRONIKA RODZINNA",

VARSAVIAE POLONORUM

Krakowskie Przedmiescie, 6

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.

28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

NEW YORK CINCINNATI

52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

ANNUS MDCCCI	P. Rossani.
EX SUECIA	D. Janson.
DE LATINA ELOQUENTIA IN ARCHIGYMNASIO TAURINENSI	Subalpinus.
DE AEDIUM ALTITUDE APUD ANTIQUOS	I. A.
PUERORUM LUSUS CADENTE NIVE	E. De Azevedo.
DE COEMETERIO PRISCILLAE DEQUE NUPERRIMIS IN EO EFFOSSIONIBUS	Romanus.
DE SYMBOLIS CIRCA DEI ECCLESIA ET DEIPARAM	Senior.
FABULAE SELECTAE FONTANII A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE	Fr. Xav. Reuss.
TYPOTHETARUM IOC	Forfex.
SERPENTES ET VENENA SERPENTIUM	P. Alexis.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	F. Palata.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM Viator.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIII

* SOCIETAS LATIALIS EDITRIX — Romae, Corso Umberto I, 219. *

LA LEGGE

MONITORE GIUDIZIARIO E AMMINISTRATIVO

An. XLIII

Commentario huic, de rebus forensibus deque rei publicae administratione monenti, grandis quidem mutatio hoc anno MDCCCCIII allata est. Non solum enim annuae subnotationis pretium, quod libell. 36 hactenus fuit, ad libell. 24 imminentum est (extra Italiam lib. 30); sed longe auctus commentarius dabitur sociis, qui bis in mense fasciculum accipient paginis LII, iisque magnis ac bifariam divisus, constantem. Exeunte autem anno, universi iuris suppelletili (vulgo repertorio), ex Italorum commentariis forensibus omnibus deprompta, donabuntur.

In commentarium **LA LEGGE** redigendum plus triginta viri inter clarissimos iuris peritos incumbunt, ita ut omnium huius generis absolutissimus sis existat, temque qui minimo pretio veneat.

FASCICULI SPECIMINIS GRATIA GRATUITO MITTUNTUR.

Omnia quae ad commentarium attinent sic inscribantur:

Società Editrice Laziale
ROMA, CORSO UMBERTO I, 219.

MINERVA

RIVISTA DELLE RIVISTE

An. XIII

MINERVA ex probatissimis totius orbis commentariis excerptis atque in epitomen cogit summi momenti scripta, quae de doctrinis, de ratione civili, de religione, litteris, bonisque artibus omnibus vulgentur. Singulis dominicis diebus XXIV magnis paginis prodit, praeter operculum, quod pag. VIII constat.

Praemia lectissima sociis conferuntur.

Premium annuae subnotationis est
libell. 10; extra Italiam libell. 12,50.

FASCICULI SPECIMINIS GRATIA GRATUITO MITTUNTUR.

Omnia quae ad commentarium attinent sic inscribantur:

Società Editrice Laziale
ROMA, CORSO UMBERTO I, 219.

Subnotatio binos commentarios complectens **LA LEGGE & MINERVA**
libell. 31, loco libell. 34, datur.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanæ Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

In Ital.
Lib. 15,

ANN

VILHELMUS, fine an. M rediret, quod habuerat, ea quae diurna tuto desponderet tra illos, qui maverant, ea ae prudentia rita vero tribu plieque, contibus, ut, si q cordia, absq rentur. Ideo Gallis haud cancellarius a de italis reb manitate sua ero Romanæ cuiusvis causa peregrinarum convenire sim pactiones iter

Pariter non bet, Gallorum ad portum Ni mus Reval in sari occurrit: que Caesarem autem ad Germ hisque renovat atque demons consilia et ar Taurinorum d Europæ exer parte melius runt legati ge ad Alfonsi regi initiati solem

Ceterum br immaturi hui oras aemulati vicissim, tum rum copias ta rea, dum hinc

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra italicam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

ANNUS MDCCCCII.

VILHELMUS, Germanorum Caesar, cum sub fine an. MDCCCCI e Dantigensi colloquio rediret, quod cum Nicolao Russorum Caesare habuerat, ea statuta esse solemniter declaravit, quae diuturnam pacem per Europam omnem tuto desponderent. Anni MDCCCCII vices, contra illos, qui regalia verba optima nimis aestimaverant, ea rei publicae gerendae ratione ac prudentia summa parta ostenderunt. Merita vero tribuenda maxime duplici foederi triplicique, contendentibus utrinque sociatis gentibus, ut, si quae lites ortae essent, mutua concordia, absque sanguinis effusione, comparentur. Idecirco triplex foedus esse innovatum Gallis haud displicuit; cum autem Bulowius cancellarius asperius forsan, quam par esset, de italis rebus diudicaret, ipse Vilhelmus humanitate sua intervenit Goethe poetae simulacrum Romanae urbi dono dato. Amota itaque cuiusvis causa simultatis, Venetiis Italus rerum peregrinarum curator Germanusque cancellarius convenire simul potuere atque veteris foederis pactiones iterum renovare.

Pariter non sine omnium laetitia, dum Loubet, Gallorum magistratus summus, Cronsd̄tat ad portum Nicolaium Caesarem revisit, Vilhelmus Reval in portu paulo post eidem Cæsari occurrit: mox Italorum rex ad utrumque Caesarem, Petropoli ad Russum, Postdamii autem ad Germanum accessit. His visitationibus hisque renovatis colloquiis ubique firmata pax, atque demonstrati satis civium animi ad eius consilia et artes undique inclinare. Augustam Taūrinorum deinde alarum magistri quovis ex Europae exercitu convenientes rem pro sua parte melius edocuere, quod pariter obtinuerunt legati gentium omnium, qui tum Madriti ad Alfonsi regis, tum Londini ad Eduardi regno initiati solemnia interfuerent.

Ceterum brevi facti sunt non vani neque immaturi huius concordiae fructus. Simenses oras aemulatione gentium paullatim sublatas vicissim, tumultus sedatos, reliquas Europaeorum copias tandem revocatas vidimus. Interea, dum hinc Iaponii inde Angli iectum invi-

cem foedus nuntiant, Galli atque Russi suam amicitiam certa lege sanciunt de Sinensibus finibus obtegendi, atque de Coreae provinciae libertate: Boerorum Anglorumque concordia pariter non sine felici auspicio, Batavico regno suffragante, ad unguem est restituta, eamque tam laeti coronaverunt eventus ut, dum occidit annus, Chamberlainius ille, quem totius belli auctorem principem omnes edixerunt, summis ovationibus Africæ terram armis subactam perlustret.

De Turcarum imperii fatis ita cautum, ut seditiones Macedonum clam atque constanter instructae satis valide coercentur, ut leges imperii iniquae vel obsoletae mitigarentur, ut christicolae regi infidelium subditi potioribus possent iuribus gaudere. Item haec tenus gestum, ut Mauritani imperii civilia bella non evertent Europæ pacem, atque uno animo ab Iberis, Gallis, Anglis Italique statutum, ut modis omnibus erumpens ignis ipso in limine restinguatur.

In Americanis oris de Panamensi fovea excavanda ius placide addictum nordicis foederatis civibus; contentiones Argentinos inter atque Chilenses Anglus rex arbiter felicissime composuit; dum Argentini pariter cives atque Uruguay et Paraguay civitatum incolae de suis litibus arbitros perpetuos constituere; legatum denique Americae universae conventus, in Mexicana republica habitus, Hagensis de pace coetus consilia conlatis suffragiis pro Americanis quoque terris rata habuit. Quare modo de Venezuelan contentione, deque sarcendi iniuriis ab Anglis seu a Germanis aliisque Europaeis populis acceptis, ipso Roosevelt septentrionalis foederis praeside suadente, ad Hagenses iudices causa delata.

Attamen tot inter fauste composita tristes dies non defuere, isque maxime quo perfidi sicarii opera, Leopoldi, Belgarum regis, vita in disserimen adducta est; incassum tamen, ut pariter Moscovitarum in urbe capite Trepowio, vigilum cohortium praefecto, contigit. Sipiaginus contra, rerum domesticarum summus ibi curator, homicidae manu imperfectus cecidit.

Summa publicarum rerum ita obiter revocata, quae sunt functo iam anno peracta, gaudium de pacifice tot quaestionum exitu sentimus omnes, atque augurandum simul ut novo quoque huic anno ineunti eosdem scalpere dies fastos concedatur. Hae enim favente domestica quiete, ut iam initum est, tempus spatiumque magistratibus summis dabitur domesticis necessitatibus praesertim afferendi remedia, ordinum ciuilium odia sedandi, iura pauperum aqua lancee restituendi, ut novae humanitatis concordi conatu adventus comparetur.

P. ROSSANI.

EX SUECIA.

PERRARO Sueciae nomen in commentario *Vox Urbis* legitur. Itaque mihi visum est res nonnullas, quae terram hanc septentrionalem attingunt, narrare, praesertim cum mihi persuasum sit plerosque externorum hominum regnum tam parvum tamque pauper parum cognitum habere. Parvum regnum iure dixerim necne, haud scio; aream enim Sueciae, si quis emetiri voluerit, facile inveniet haud paucorum, quae in Europa sita sunt, regnorum non modo aequare, sed etiam longe superare. Eequid tamen? Nam regio nostra desertorum plus habet locorum quam vel incolas, vel cultas terras.

Gloriae si quid Sueciae est, id neque ex natura loci, nec omnino ex praesentibus rebus, sed ex praeteritis temporibus petendum est. Tunc vero populum Suecanum iterum ac saepius cumulatum fuisse virtutis rerumque gestarum gloria, iam satis inter omnes constat. Ut exigua Boerorum gens hoc tempore iure laudatur, quippe quae per duos fere annos et dimidium suam contra potentissimum Britanniae imperium defendenter libertatem, sic etiam elatiore animo Suecanorum rarus atque dispersus populus potest repetere memoriam gravissimorum, quae per totum ferme post nat. Chr. saeculum decimum septimum atque ineunte saeculo duodecimo gerebat bellorum, non adversus hostem unum, sed saepe contra plures simul, eosque viribus superiores. Quibus ex bellis Suecia denique excessit, servata quidem bellica gloria, sed tamen sanguine de plurimis mortiferis vulneribus affatim manante, atque adeo decurtatis membris, ut postea vix due regni partes restarent. Ac postquam primo decennio saeculi undevicesimi reliquias Finlandiae amissus, nunc iam vix dimidium veterum regni finium nobis superest.

Republica ita detrusa ex pristino magnitudinis potentiaeque statu in conditionem longe inferiorem atque tenuiorem, Suectica natio, quae quondam fuit bellicosissima, sensim mutata est in populum pacis omnino amantem, qui nihil carius habeat quam ut, pace servata, totum se dedat humanitatis negotiis persequendis. Cuius studii atque laboris nullo modo abfuerunt fructus, quos non tam in elegantissima paucorum hominum eruditiorum doctrina cernere licet, quam in eo quod vix inveniatur in republica, vel ruri vel in oppidis, quisquam, ne infimae quidem conditionis homo, qui litteras omnino nesciat. Adeo pervulgatae sunt inter omnes et ars legendi scribendique, et ceterarum rerum, quae in elementis versantur, cognitio. Id tamen dolendum, morum exultionem neque semper nec ubique tantos eruditio progressus aequavisse, sed multos veteris ferocitatis inhumanitatisque impetus semel atque iterum in lucem prodire.

Suecia tamen, quamquam rebus externis potentiorum imperiorum nullo modo cupit impli- cari, nequit tamen a curis rerum publicarum libera manere. Immo vero et extra et intra sunt eurae, de quibus aliquid scribere operae pretium est.

Ut ubique terrarum, ita in Suecia partes esse partiumque contentiones, necesse est. Partibus negotium dat maxime hoc tempore quaestio de pari omnium civium suffragio, quae iam diu disceptata nondum soluta est. Hoc suffragium alii, ut fieri solet, laudibus extollunt, suspectum habent alii: illi putant par omnium civium ius populi oratores suo suffragio creandi allaturum esse certum contra omnes ferme reipublicae calamitates auxilium; hi, digito monstrantes eas, quae secundum hanc legem constitutae sunt, civitates, exhortantur, ut tanta in re omne genus cautionis adhibeatur.

Neque vero civilius tantum, sed etiam exter- narum rerum eura molestiaque animi nostri hoc tempore afficiuntur.

Est Norvegia, fraternum nostrum, ut dieunt, regnum, cum Suecia ita coniuncta atque con- sociata, ut ambae gentes, uni eidemque regi subiectae, unum quasi corpus sint, quatenus externis eum populis implicentur negotiis. Sed tamen suis utraque legibus institutisque utitur, ut nihil nisi regem atque res externas habeant simul commune. Iamvero externae res, exel- sis administris Norvegicis, a solo administro Suecano procurantur. Hanc rerum conditionem sibi satis dedecoris afferre putat Norvegia: quam ob rem iam pridem summae nititur rei, ut per suos ipsa administratos quae ad se pertinent gerat res externas. Quod Norvegiae studium di- scordiam haud parvam distractionemque con- citavit duos inter populos fratres, siquidem Suecanis non videtur esse dubium, quin prorsus solvatur ea, quae nunc est, regnorum unio, si Norvegia id, quod adeo vehementer studue- rit, assecuta sit. Quomodo fieri possit, ut sim- lates, quae ita actae sint Sueciam inter Nor- vegiamque, componantur, etiam nunc incertum est. Manifestum vero appetit. Norvegiam nunc bona in spe esse fore ut prospere eveniat id, quod animus appetit: propterea quod Suecia, utpote quae, ne finitimus ab oriente aggrediatur hostis, perpetuo timeat, non possit non sibi

conciiliare Norvegiae animum, ut non tantum a tergo tuta sit, sed etiam socium habeat fide- lem, quem in hostem ab oriente incurvantem signa convertantur. Quem incursum multae res proximis his temporibus visae sunt portendere. Itaque Suecia, quamvis cultoribus infrequens et pauper, nihil intermittit, ut rem suam militem quam optime constituat, ne superveniat repentina dies illa, quae aterrima sane nobis erit, si iam satis atri dies sunt magnis in Sueciae partibus. Proxima enim aestas fuit admodum frigida et aquosa, apud septemtriona- les oras praecipue, ubi inde tanta terrae infecunditas incidit in colonos, ut neque pabulum eieribus bestiis, nec hominibus frumentum percipi potuerit. Quibus igitur provinciis extre- mam famem imminere, facile intelligitur; quin etiam signa iam iam ostenduntur, eum maiorem pecorum partem occidere coloni coacti sint, utpote quibus alimenta suppeditare nequeant. Quam ob rem ceterae Sueciae provin- ciae omni ope contendunt et conniuntur, ut pecuniam, nutrimenti omne genus colligant atque ad miseros eives circa poli eirculum habitantibus, mittant. Sed tamen omnis civium et gubernii nostri conatus impar tot miseriis sublevandis evadet; oportet ut exteri omnes populi miserrimae nostrae plebis in auxilium veniant. Hie sane, mi lector, ubiunque terrarum et gentium tuum habes domicilium, datur tuae misericordiae atque beneficiae locus. Tu qui nullo non die corpus et cibo satias et foecula foves, pauperibus colonis Suecanis, qui mediis in nivibus esuriunt, pro tuis fortunis stipem conferens, consulito! Est Holmiae, in urbe regni capite, collegium delectorum virorum, quibus cura inopiae Naulandiae sublevandae a rege commissa est; ad id nulla interposita mora, obo- lum tuum, quodcumque est, mittas!...

Bollnas.

DONATUS JANSON.

DE LATINA ELOQUENTIA IN ARCHIGYMNASIO TAURINENSI (1).

POST Dominici Chionii obitum latinam elo- quentiam tradidit apud nos Iophredus Franzini Salutiensis. Hie iam antea inter decuriales doctores Regii Athenaei accitus, sapientia et poetica facultate praeditus, multa tum italicis, tum latine volumina conscripsit, in quibus mira orationis venustas et mundities artificio quadam et varietate distineta spectatur. Graecis et latinis litteris eruditus, doceo studiis dicendi liberali adhibuit disciplinam, atque ut sermoni Romano antiquus constaret nitor, praeceps plurimum, exemplis maxime fecit. Vel in subitis scholae dictionibus, ita disertus habebatur, ut, si prodiret in publicum, diligenter in utroque sermone eloquens. « pudore, – (ut eiusdam scriptoris verba mutuer) – cum moderatissimis, abstinentia cum inno- centibus certaret ».

Hoc quoque nomine in primis laudandus, quod in disciplina tradenda atque in libris evulgandis, omnes euras et cogitationes illuc fideliter contulit ut Subalpina soboles severis-

simis doctrinarum studiis iuxta ac bonis arti- bus perinde excoletetur.

Fuere tamen qui hunc nostrum reprehende- rent, quod in Cicerone defixus, quem semper prae oculis habuit, et antiquitati unice deditus, recentiora negligenter, quasi ineptus eloquentiae magister.

Ex eius schola, aiebant, viri latinis litteris leviter instructi atque recentiore doctrina vacui, elegantioribus dictionibus et sententiolis auecupandis omnino intenti egredientur, ieuni exstulti sapientia, qui, verborum lasciviis contenti, ad germanam eloquentiam numquam ad- surgant.

Inique illos quidem facere hi paneuli versus confirmabunt, qibus ipse musam sibi facilem adprecatur in carmine, quod Regiis sponsis dicatum in vulgs gratulabundus edidit:

*O quae Castalias circum colludit undas,
Pierides, laudesque Deum, regumque, ducumque,
Ab Iore natorum clarissima facta canentes;
Si quando vestrum perculsus amore sacerdos,
Templa adii, et sacris cumulari altaria donis,
Huc agite, et facilem votis adverte mente!*

Mirum tamen quantum eius exemplo mature scribentibus serupulus iniciebatur, ne quid in verbis offendarent, eorumque impetus retardabatur, quos adeo satis pueros dixeris, sed parum solutos et depictos.

Eius autem italicis scribendi ratio, naturalis atque elegantior, satis fluens aequabiliter tibi omnibusque facile erit probabilis: adeo lectores ad se tenet ac lepide allicit.

Iterum meminisse iuvabit, duos fuisse illa tempestate tantummodo apud nos eloquentiae doctores, quos studiosi per triennium audirent. Quam quidem rem cachinnis fortasse accipient recentiores nostri homines, qui temporis transacti ignorantiam fastidiose aspernati, perpetuis laudibus praesentem sapientiam ad caelum conseruent. At ipsi, in excessum profecti, discentium animos in multa eademque diversa distractos, nimio rerum pondere obruant.

Placeat hic obiter Carolum Deninam memo- rare, qui hac ipsa aetate cum Franzinio rem agebat, atque italicam eloquentiam tradens, ita scholam suam erexit, ut ex illa multi egregii viri prodiressent.

Ipse procul dubio erit praestantissimus omnium habendus, qui usque ad illa tempora eloquentiam in Taurinensi Archigymnasio tradi- dissent. Siquidem acerrimo ingenio donatus, ideoque laboris patientissimus, illam sibi do- etrinnam comparavit, ex qua sententiarum et verborum copia efflorescit. Quare verissime de Denina scripsit Carolus Boucheronus: « Primus doctrinae suea alumnus a verborum angustis in medias res deduxit; primus historiam uberioris audentiusque traetavit » (1).

Ad haec, totus ad severitatem compositus, magnas de litteris immitias cum Franzinio exercevit, quem acerbius omnino perstrinxit, seque pugnacem ac vehementem praestit. Franzinus enim, huiuse iudicio, totus in Cicerone, ab eius scribendi ratione, ne transversum quidem digitum, abripi patiebatur, et plus ae- quo veteribus quasi addictus et consecratus, repentinam eamdemque audentiorem litterarum formam perpetuo convicio improbabat.

(1) Cfr. BOUCHERON, *De Thoma Valpergo Catulio*, Tau- rini, MDCCXXIII.

Rursus i-
sephi Bare-
legantiaru-
tis, est pas-
italieis in-
dendis dec-
Quam quid-
ferens, aem-
molestiis P-
acerbissime
rum et sen-

Hinc illa-
querimoniae
effundit, qu-
lorem suis
nus illud di-
quo Subalpi-
datur.

Iamvero t-
populus agit-
imperiorum
dem novan-
tes veterum
videbantur.

Franzinus
olim Alighe-
pienter cons-

*E qual-
Non re-*

enus Italoru-

tus, omnibus

rum scholaru-

minime potu-

DE AEDIU-
INTER omne-
eademque
distingui, qua-
dividerentur
viis undique
aedium qua
patuit, quadra-
domum autem

Atqui Tarq-
casas tantum-
sarmentis: ser-
exstrui coepi-
super contigu-
familias cubie-
conglobata pe-
autem parum
terentur, inun-
ruebant.

Decies cen-
numerante, vi-
lebant, cum re-
sulas sese rece-
temporis a bis-
ginta millia a-
locandae « ins-

Insulae hae
quod Seneca, G-
numquam con-
batur altitudo,
leges longe pr-

(1) *Purg.*, XXI

Rursus ipse Carolus Denina acerrimos Iosephi Barettii aculeos, illius scilicet supremi elegantiarum italicarum magistri huius aetatis, est passus, quicum de magisterio litteris italicis in maximo Taurinensi Athenaeo tradendis decertaverat, et superior discesserat. Quam quidem iniuriam iniquo animo Barettius ferens, aemulum vietorem perpetuis est deinde molestiis pravisque iudicis insectatus, eum acerbissime incusans tamquam otiosum verborum et sententiarum auenipem.

Hinc illae crebrae in eum reprehensiones et querimoniae, quibus bilem suam quodammodo effundit, quaeque atrocem pene dixerim, colorem suis operibus inducunt, hinc denique genus illud dicendi, nervosum, pressum, argutum, quo Subalpini Aristarchi ingenium maxime laudatur.

Iamvero tunc novae illae res, quae Europae populos agitant, aderant, quae omnium ferme imperiorum quietem perturbabant: quae quidem novandi libido et opinionum perversitates veterum sapientiam ad perniciem deducere videbantur.

Franzinus vero, mente forte reputans, quae olim Aligherius in Carmine suo secundo sacerdotaliter conscripsérat:

*E qual più a gradire oltre si mette
Non rede più dall'uno all'altro stile,* (1)

unus Italorum ingeniorum decus sustinere ratus, omnibus paratus periculis, ad recentiorum scholarum rationem amplectendam induci minime potuit.

SUBALPINUS.

DE AEDIORUM ALTITUDINE APUD ANTIQUOS.

INTER omnes constat, quas aedes Romae una eademque gens incolebat « domus » nomine distingui, quae contra, ambitu maiore, in multas dividerentur domus, eas « insulas » appellari, viis undique circum amplexantibus: huiusmodi aedium qua aetate Urbis pomerium latissime patuit, quadraginta ad millia numeratae sunt, domuum autem fere bis mille.

Atqui Tarquinios usque ad reges notum est casas tantummodo Quirites habuisse contextas sarmentis: serius autem testaceis lateribus muri extrui cooperunt. Paulatim immo additis desuper contignationibus, pauperum praesertim familiis cubicula parata sunt, ubi plebs misera conglobata pessime plerumque habitaret. Cum autem parum solidis passim fundamentis inniterentur, inundante Tiberi saepe insulae corruerant.

Decies centena millia incolarum civitate dinumerante, vix bis centum millia domus incolebant, cum reliqui pauperes plerumque in insulas sese recepissent. Locationum pretium tunc temporis a bis mille annuis sestertiis ad triginta millia augebatur: qui praererat insulae locandae « insularius » dicebatur.

Insulae haec aedium omnium altissimae erant, quod Seneca, Cicero atque Rutilius Lupus nonnumquam conquesti sunt; eaque immo habebatur altitudo, quae constitutas hodie ad rem leges longe praetergressa sit: nulla enim mora,

ne nimis domus culmina exerescerent legibus statuta est nisi Augusto imperante: tunc constitutum ne septuaginta pedum altitudinem aedium facies excederet, quae viae immineret.

Spoonderat quidem Augustus Caesar, nimio quidem vocis hiatu, se marmoream urbem relictum, quam lateritiam accepisset; at Nero revera emendator urbis atque corrector exstitit, qui immisso heic vel illie igne, decem ex quatuordecim Urbis regionibus abolevit. Per fumantes ruinas mox novae viae deductae, novaque fora, atque vetitum ne privatorum domus altitudo duplicata viarum latitudinem excederet. Item edictum ut porticus ubique surgerent, qui et a pluvia et a sole transeuntes tuerentur; ne lacunaria lignea essent, ut denique unaquaque domus ex omni parte libera exstrueretur. Traianus imperator postmodum lege statuit, ne sexaginta pedum altitudinem tecta vincerent. Verum de atris internis, deque posteriore aedium facie nil unquam cautum, quae certo certius longe maxime excreverunt semper. Martiale auctore discimus egeno cuidam sibi proximo ducentos gradus condescendendos esse, ut ad suum cubiculum perveniret. Iuvenalis enarrat incendium ad tertiam iam contignationem elatum, supremos insulae incolas prorsus adhuc ignorasse. Non inde mirum Tertullianum caelestibus totidem regionibus domum contignationes aequasse; atque inscriptionem anno MDCCXIX reperit de quadam Sertorianae domo revelasse (1) tabernas decem in solo continere, desuper autem contignationes superimpositas sex.

Etsi tamen leges de re innovarentur, cum de futuris tantum aedificiis formam lex iubaret, aedes passim manserunt plus quam centum pedes elatae, quae viis imminerent non amplius quam viginti pedum in latitudinem patentibus. Ture inde asserebat Plinius domum altitudine ceteras urbes Romanas superare, atque Iuvenalis sublimem esse dicebat ex fenestris prospectum.

Ceterum aliae quoque antiquitatis urbes simili domum altitudine efferebantur: Paleopolitanae domus iuxta Philostratum ad quatuor vel quinque contignationes extollevant tecta, Babylonica aedificia eadem altitudine erecta Herodotus narrat, Appianus Carthaginem domos memorat ad sextam usque contignationem sublimes, Diodorus Siculus Motyae urbis describit aedes octavam quoque attingentes, Zeno imperator, Leonis praedecessoris sui legem revocans, Tyri domus non ultra viginti pedes altitudine verticem efferi permisit, si quae post incendium aedificarentur; idem viarum intervallum interesse voluit: ad ultimum quominus incolae propinquum maris visus intercipieretur prohibuit.

Contra nobilium gentium domus unam vix contignationem super viam extollevant, si imperiales aedes excipias; Caii enim Caligulae nova domus per latus Palatini collis septentrionale producta septuaginta iam pedum altitudine, Viae novae subiacenti imminebat, etsi via haec vix ad sex pedes pateret: Septimii Severi autem aedes super Triumphali Via octoginta pedum altitudinem attingebant.

Altissima pariter aedifica publica erant: Solis templum ab Aureliano, post captam Palmi-

ram urbem in Quirinali colle positum, columnis innitebatur vigintiquinque pedes altis.

Haec tenus dicta ex scriptoribus excerpta sunt: ex insularum enim ruderibus quae supersunt, earum altitudinem dimetiri fas iam non fuisset. Sertorianae insulae, quam supra memoravimus, vix duo tabernarum ostia supersunt, Bononianae contra reliquias non est nisi puteus medio in atrio effossus. Addendum vero Taciti testimonium, qui cum narrat de Vitellii fautoribus Capitolii arcem obsidentes, quo Titi Vespasiani milites confugerant, domum tecta describit eo usque altitudinis emergentia, ut peristilium Capitolini templi Iovi Optimo Maximo sacri attigerent: ceterum ad pedem Capitolinae arcis, insulae cuiusdam rudera supersunt, unde ipsum arcis Capitolinae verticem eam adaequasse facile arguitur.

Ut autem maiores quodammodo culpa purgeminis ob domus tantae altitudinis aedificatas, duo memoranda praesertim: primum quidem in meridionalis Europae regionibus, per adumbertas vias commodiorem transitum, quam sub solis torridi radiis effici; alterum, ne nimia latitudo urbis magis magisque diffunderetur ea aetate qua nulli erant, quos hodie adhibemus, acti vapore aut electride vehiculi, plebem urbis per medias regiones pluribus domum contignationibus plerumque colligandam maiores cavisse.

I. A.

PUERORUM LUSUS CADENTE NIVE.

*Vides ut alto candida tegmine
Tellus iuuentam per fora, per vias
Invitat ad bellum iocosum,
Dum facili parat arma tactu?
Nam prona ludos arripere obcios
Imberbis aetas, aemula ad invicem
Ut signa conflictus propinqu
Edit ovans animosa voces.
Deproeliantes vidimus hostium
Globo phalanges ludere missili!
En grandinem effuse pluentem
Artifici iaculantur astu.
Nova arma dextris arripientibus
Labore nullo suppeditat solum,
Nec frigus arect bellicosis
Quando animi incauere curis.
Fervet tumultus, nec bene dirigit
Utrumque pubes arma reciproca;
Tegunt phalanges dimicantes
Qui nivei eiiciuntur orbes.
Sed dum dealbant in medio aera
Ipsos refrietu vidimus obvio
Illi et hinc fragmenta labi,
Quae tenues imitantur imbris.
Plures in hostem perueniunt globi,
Et ora pingunt non sine noxio
Vel pectus ictu, aut impotenti
Ante pedes cecidere iactu.
Ebullientem vidimus undique
Volare nubes vorticis impetu,
Ut turbo crescit pertinaci
Concutiens nemora alta motu.
Deliberato Marte ferocius
Dum spissa strages agmina fulminant
Disparere, et laeta causas
Turba novis petit cachinnis.*

E. DE AZEVEDO.

(1) Cfr. scriptum RODULPHI LANCIANI in *comm. North American Review*, mense iunio, an. MDCCXCVI.

DE COEMETERIO PRISCILLAE

DEQUE NUPERRIMIS IN EO EFFOSSIONIBUS.

ASSIDUA effosionum opera, quam tum dili-
gens doctorum investigatio, tum pecunia
non parva stimulant in rem conlata quotannis,
effectum fauste, ut nova semper in dies ex
christianorum coemeteriorum latebris monu-
menta eruerentur in lucem. Quae autem novis-
sima recensentur, ea Priscillae «catacumbas»



«Fractio Panis». — Muralis tabula in coemeterio Priscillae.

respiunt, de quibus hodie notitiam sociis li-
benter praebemus, usi potissime libro his diebus
a clarissimo viro Horatio Maruechi de re vul-
gato (1), atque scriptum illustrantes figuris,
iisque magni momenti, quas editrix officina
requirentibus nobis ultro obtulit.



Ad Salarium viam quatuor hiasse ostia coeme-
teriorum vetera documenta tradunt, coemeterium
Maximi sive Felicitae, coemeterium
Trasonis atque Saturnini, coemeterium Iordanorum,
denique coemeterium Priscillae, quod
ex ipso titulo, pariterque ex historiarum docu-
mentis antiquissimum omnium coemeteriorum
arguitur, quippe cui nomen a muliere illa
datum matre Pudentis, qui, iuxta vetustissima
per historicos tradita, Petrum in aedibus ad eli-
vum Viminalis collis positis hospitio apud se
recepit.

Huius in cuniculis multa condita corpora
Sanctorum comperimus, inter quae Pudentiae
atque Praxedis filiarum Pudentis exuviae,
Aquilae et Priscae titularium domesticae Aven-
tinensis aedes, Felicis atque Philippi, qui duo
ex septem Sanctae Felicitae filiis Marco Au-
relio imperante necati sunt: mox Crescentiani,
atque Marcellini et Marcelli Pontificis Diocle-
tiano imperatore martyrum. Sepulera huius-
modi omnia, post Constantini pacem, in basilica
coacta fuere, quae super coemeterii cryptis
erecta est.

Coemeterii foveae aliae super alias excava-
tae sunt; verum in unaquaque contignatione cu-
bieula exstant, quae animos ad se convertant.
En sacellum, quod Graecum appellant, am-
plum satis ac figuris tum veteris tum novi

(1) Orazio MARUCCI. *Guida del Cimitero di Priscilla*, contenente uno studio sulla primitiva Sede di San Pietro in Roma, con la pianta del cimitero e molte riproduzioni di monumenti. — Romae, edid. Desclée, Lefèvre et Soc., MCMIII.

testamenti decorum; est enim Theophaniae ado-
ratio, Paralytic redita sanitas, Susanna di-
serimen. Efficti pariter conspiciuntur pueri
tres in camino ignis, Noe ab area progrediens,
Daniel in fovea leonum, Abrahami sacrificium,
Lazari resurrectio: omnium autem maxime
insignis parietalis tabula habetur, in facie pre-
cipua absidis eminens, quam
Wilpert primus edidit dato
titulo «fractio panis», quippe
sacerdotem exhibeat (Petrum
ne?) ac fideles simul cum eo
ad fractionem panis discum-
bentes.

Huic proxima crypta est
recens excavata, patens in
nymphaei figuram, ita ut, cum
superius Glabronum Acilio-
rum late rus extenderetur, co-
niici possit eam ex nymphaeo
ruris paulatim in locum coe-
meterii commutatam esse. Ae-
diculae eius in parietibus ad
signa ponenda patent quatuor

(F litera in fig. notatis), aditus
ad aedem tres (M. N. B.). Columna media in area
surgebat ut lacunar sustentaret, eius vix
fundamentum marmoreum reliquum est (E); in
facie super areum et altare fenestra usque ad
solum constructa luei dat viam (L), araeque
ad latus stat columna (H), quae lucernarum
lanceum portabat. Eius ex ruinis lateres selecti
praesertim duo, eius alter haec in signo sculpta
ferebat: L · CORNELI · PVPVL · | EPI-
CRATE; quae arguunt ante Octavianae aeta-
tem laterem effectum; alter vero: OP · DOL-
EX · PR · AVG · N · POR · LICNIN; unde
secundo exeunti saeculo tribuitur. Antiquissima
itaque aedes, ubi forsitan Marellini Pontificis,
Diocletiano imperatore martyris, quievere ossa;
idque ex notitia libri Pontificalis, qui docet
Marellinum ad viam Salarium conditum «in
coemeterio Priscillae iuxta corpus S. Crescenti-
ani in cubiculo claro quod patet usque in
hodiernum diem». Ture vero cubiculum clarum
animadverterant, quia ex effossa desuper per

humum altitudinem fenestra lux influit multa,
atque dies ubique collustrat.




Modo hisce visitatis, in intimiores coemeterii
latebras per cunicula progredientes, ad cubi-
culum perveniamus omnium forte celebratissi-
mum.

Ibi enim in lacunari fictili opere insculpto
Bonus eminent *Pastor*, eius ad dexterum latus
ea effigies Deiparae est, quam profecto omnium
antiquissimam censem doctores. Maria Iesum
ulnis gestans admovet ad ubera; stat eius ad
latus vir, prophetae ferme figura, ita indi-
gitans stellam altius fulgentem, ut Isaiae nomen
illi convenire facile arguamus. Imago haec
asserit cultum a secundo saltem saeculo renova-
tum salutis a christicolis Deiparae tributum.

Hoc vero post cubiculum insignes maxime
loci in coemeterio duo esse noscuntur, foveae
et sacellum ubi Aciliorum sepulera posita sunt,
qui domini cum essent superioris ruris, coeme-
terium effodiendum curavere: atque aquarum
fons ille, vel piscina, quae veterum antiquita-
tum peritos in graves disputationes merito re-
cens adduxit.

Aciliorum gentis locum fuisse lapidum frag-
menta reperta in cella ostenderunt, quorum
principem Acilium Glabronem, qui una cum
Traiano anno XCI consulatum gesserat, Dion
Cassius narrat a Domitiano Caesare necatum
eadem ob delicta quae mortem Flavio Clementi
eiusque genti comparaverant, christianum no-
men nimurum atque confessio. Sunt igitur la-
pidum inscriptionum fragmenta plurima, vel
graece, vel latino idiomate inscripta, nomi-
nibus sacra Acilii Glabronis filii, Acilii Valerii,
Acilii Rufini, Claudii Acilii; Priscillae quoque
cuiusdam, eius nomine Priscilla matrona no-
bilis coemeterii fundatrix, memoratur.

Piscina duodecim abhinc annos reddit in
lucem, eiusque memorias praesertim Horatius
Maruechi investigavit, suspicatus Petri vesti-
gium aliquod ibi esse inquirendum. Profecto
baptisterium vetus ibi hiasse ipsa loci forma
evineit: quod immo una cum superexstrueta



deinde S. Silvestri basilica atque condito ibi fonte certa via ut communicaret Pontifices euarunt. Atque huic quoque loco versiculi referendi qui in *Verdunensi Silloge*, post martyrum in coemeterio Priscillae quiescentium epitaphia, exemplata leguntur prout sequitur:

25. *Isti versiculi sunt scripti ad fontes.*

*Sumite perpetuam sancto de gurgite vitam
Cursus hic est fidei mors ubi sola perit
Roborat hic animos divino fonte lavacrum
Et dum membra madent mens solidatur aquis
Auxit apostolicae geminatum sedis honorem
Christus (et) ad coelos hanc dedit esse viam
Nam cui syderei commisit limina regni
Hic habet in templis altera claustra poli.*


26. *Isti versiculi scripti sunt ubi pontifex consignat infantes.*

*Istic insontes caelesti (f)lumine lotas
Pastoris summi dextera signat oves
Huc undis generate reni quo Sanctus ad unum
Spiritus ut capias te sua dona rocat
Te cruce suscepta mundi ritare procelas
Disce magis monitus hac ratione loci.*

Atqui si ad rationem *Syllogis* intendamus, cum peregrinus, qui eam collegit, monumenta peragret eorumque inscriptiones transcribat, verisimile videtur carmina haec, nulla animadversione distineta, ac statim relata post memorias Sanctorum in coemeterio Sancti Silvestri, — id est Priscillae, — conditorum, non alibi sed ex ipso coemeterio deprompta esse, eoque magis, quia in iis quae sequuntur non aliter ac in iis quae praecesserunt varia loca seiunctim distinguantur.

Erant haec igitur forte ad absidem inscripta (1), unde aditus (2) ad aquae piscinam (3) patebat. Praeterea sunt per murum cubieuli omnem, — ubicumque figmentum adhuc exstat —, crucis centum et amplius, manibus aut ferro sculptae, quae palam ostendunt pariter locum veneratissimum peregrinis, cuius ad limina sacrosanctum baptismatis lavacrum neophytae

(1) In forma quam damus B litera designat.
(2) Lit. C.
(3) Lit. D.




Imago Deiparae antiquissima
in coemeterio Priscillae extans.

Christi accipiebant. Revocant haec immo in mentem illud in gestis Liberii Pontificis enarratum, quem Constantius imperator iussit «extra civitatem habitare»; «habitabat autem ab Urbe Roma milliario tertio quasi exul in cymiterio Novellae via Salaria. Veniens autem dies Paschae vocavit universos presbyteros cives Romanos et diaconos et sedit in cymiterio...», atque quatuor millia usque neophytarum baptizavit; reique ratio potissima a scriptore gestorum adducitur haec: «Erat enim ibi non longe a cymiterio Novellae cymiterium Ostrianus (sic) ubi Petrus Apostolus baptizavit» (1).

Etsi vero fides danda hand sit gestorum assertioni, ex propinquitate tamen Ostriani coemeterii hinc quoque Apostoli memoriae revocantur, et, scriptore argente, inducunt ferme non sine iure hunc quoque ad fontem Beatum Petrum baptizasse.

Quidquid vero fuerit, Maruechius gravibus argumentis rem suam tuetur, et ad eius librum delegamus, qui eam penitus cognoscere cupiat (2). Nobis sufficiat eius mentionem fecisse ne socios lateret, locum iam tot Apostoli vestigiis et memoriis prae ceteris suburbii insignem, novo decore novoque pretio recentibus effusionibus esse cumulatum.

ROMANUS.



Baptisterii forma in coemeterio Priscillae.

A. Aditus et scalae. — B. Absis. — C. Aedicula. — D. Piscina. — E. Aquae cuniculus. — F. Pavimentum ex tibertino lapide. — G. Cavum in pavimento exstructum. — H. Foramen ad aquae delapsum. — K. Via recens effossa.

sti sit caro Mariae, et necessitate naturae mater a filio sit inseparabilis, nec sine matre filius possit intelligi, hinc Deiparae ad apicem illa Sapientiae verba aptantur, quae dicunt: «Ego habito in consiliis principum», scilicet, Augustissimae Trinitatis dicentis: «faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram», et «cum Eo eram cuncta componens, et delectabar coram Eo omni tempore». Iuberet quidem dignitas, ut antea de beatissimae Virginis symbolis hic loqueremur; at liceat opportunitatis gratia ordinem atteneret, ut, quod tantae Matris est, in Purificationis eius festo exhibeamus, quasi obsequium Sanctissimo offerentes Nomini, quo maximus humano generi dignitatis cumulus accessit. Hic igitur locus omnis Ecclesiae implebitur symbolis, quae, nisi satis habeatur, resumemus, ubi de Maria dictum sit, nonnullis paginis ad argumentum omne absolvendum.

Imagini, quibus Ecclesia praefertur, plures habentur, ac de iis Melitona et Eucherium legere poteris. Nostrum non est indicare singula, sed causam symboli sensumque reconditum, qua exiguiori possumus brevitate, monstrare. Utilissima enim, Clemens Alexandrinus inquit in *V. Stromatum*, utilissima symbolicae interpretationis forma ad res permultas: nam iuvat et ad rectam theologiam, et ad pietatem et ad demonstrativi generis orationes, et ad brevitatis denique exercitationem specimenque sapientiae. Quae verba non modo probans; sed quodammodo augens Augustinus (*Epist. C.*) scribit: «Siquae autem figurae similitudinem non tantum de caelo et de sideribus, sed etiam de inferiori creatura dueant ad dispensationem sacramentorum, eloquentia quaedam est doctrinae salutaris, movendo affectui discentium accom-

DE SYMBOLIS
CIRCA DEI ECCLESIAM ET DEIPARAM.

BREVITATI indulgemus potius quam disciplinae, dum symbolis, quibus Christus ostenditur, finem imponimus nostro opere declarantis (3). Quemadmodum enim, ut Hieronymus Maximus, ni fallor, ait: «Filius Dei ubique inseminatus est in Scripturis Sanctis»; sic in qualibet serie symbolorum sanctorum Filius Dei ubique inseminatus detegitur, si, Doctoris Augusti allegoria utar, Spiritus Bonus, si ros de caelo in mentem advenerit campos Lectionis

Dominicae recolentem. Tunc «terra dabit fructum suum de rore caeli et de ubertate soli», «et valles abundabunt frumento, quod optimus Agricola, caelestis Pater, exiit seminare»; «frumentum autem Verbum Dei est», quod «caro factum est et habitavit in nobis». Duplex autem nunc mentibus lectorum proponitur ordo symbolorum, alter qui Ecclesiam Dei significat Sponsam non habentem maculam neque rugam, quam sibi Agnus immaculatus et incontaminatus Christus acquisivit sanguine suo, alter qui Deiparam indicat gratia plena, et omni labore parentem, ab initio et ante saecula deliciosa, iucundissimamque Creatori suo, qui Filium contemplari nequibat, quin apicem creationis universae, id est humilitatem sanctissimam Redemptoris futuram, consideraret. Quum autem caro Chri-

(1) *Acta Liberii et Damasi*. Cfr. Migne, Patr. Lat., I.VIII, col. 1888-98.

(2) Cl. auctor non solum baptismi a Petro dati locum in coemeterio Priscillae recognosci debere putat, sed etiam sedis «ubi prius sedit Sanctus Petrus».

(3) Cfr. an. V, num. XXIV.

modata a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritualia, a temporalibus ad aeterna». Haec relata voluimus ut gratias agamus quamplurimas iis, qui nobiscum laetati sunt propterea, quae de Iesu symbolis nuperrime edidimus, praecipue qua de causa Christus in petra exhibetur, in funiculo salutis, reliquisque symbolis prout recensuimus.

Ut propius vero nostra attingamus, symboli Ecclesiae sunt praecipui Sponsa ornata Viro suo, Navis, Ovile, Columba, Crux, iugis quatuor, iuxta singula brachia, conclusa, Mons. Insuper urbs quaedam, cui nomen Roma, vel Ierusalem subscrribitur. Nec aliter aestimanda est vitis, cuius frondes quosdam globulos rituali numero vel sex, vel septem, vel octo, offerunt, nisi tamen hae frondes botros ostendere potius videantur. Idem etiam significat Ager messibus flavens et aristarum dives, idem Palma, idem Area, et similia.

Ad Sponsam ornatam, et vel diademate insignem quod attinet, satis est illa indicare quae sexcenties in sacris libris habentur. Legimus enim in *Apocalypsi*: « Vidi Sanetam civitatem Ierusalem, novam, descendentem de caelo, ornatam sicut Sponsam Viro suo ». Legimus in psalmis Davidicis: « Adstitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate ». Legimus in cantico: « Una est columba mea, una est amica mea », et rursus « veni, sponsa mea, veni de Libano, coronaberis ». Immo propheticum epithalamium hoc integrum est de nuptiis Ecclesiae et Agni, et septem quadam-

modo divisum partibus, septem Ecclesiae militantis aetates significat, historico potius diceres quam prophetico sermone distributum, distinctum. Et ne sit dubii locus, narrabo me non semel, nec bis vidisse Sponsae huins imaginem praefertis ante pectus Eucharistici Sacramenti thecam, modo in columbae speciem, modo in formam agni, modo alia figura relatam. Super vacaneum duco in hisce subsistere; Paulus enim Apostolus, ubi de matrimonio agit, admonet Sacramentum hoc esse magnum « in Christo, dico et in Ecclesia »; nec aliter iubet obedire suis viris Christianas uxores, nisi exemplo Christi et Ecclesiae: « Mulieres subditae sint viris suis sicut Ecclesia Christo ». Iubet autem viros complacere uxoribus tamquam infirmiori vaseulo parcentes; undenam? Exemplum caritatis proposuerat egregium, insuperabile, Christum scilicet, qui Sponsam sibi comparaverat sanguine suo, cui regnum fecerat aeternum, ineffabile. Et ne quis vir christianus de spe deiiceretur assequendi quae proponebantur imitanda, Christus ipse hortabatur: « Estote ergo perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est ». Sublimia quidem haec taedet festinante calamo attingere, quae profecto diuturniori commento egerent, ut Symboli huius uberrimi singula enarrarentur mysteria.

Dicitur « Mons » Ecclesia, et hac imagine interdum pingitur, interdum caelatur, eni nunc insedit, quasi scopulo Fides, eius nunc in vertice eminent erux, cui modo additur grex, cui modo adiunguntur aquarum fontes; nec inter-

dum deest vel Pastor, vel Pontifex seu perigrinos ad ascendendum exhortans, seu pedo gregem ad montana compellens. Quaerisne quae fuerit causa symboli huius? In promptu et pulcherrima. Nonne lex e monte Sina, et « Dominus in Sina in Sancto »? Nonne praeter templum Domini aliquid in monte Sion? « Et de Sion, — propheta inquit, — exibit lex »! Nonne mons Tabor? Nonne mons Golgotha? Nonne mons Olivetum? Vides quot nomina montium, circa quos Deus gregem suum congregavit. Nec in valle templum, sed in monte posuit; nec in campo voluit, sed in excelsis. At ipsa Ecclesia prophetico sermone nuncupata mons est: « Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini ». Quum igitur Ecclesia recte domus Dei dicatur, quia in ipsa habitat eucharistica specie, habitat dispensatione Sacramentorum, habitat praedicatione legis, habitat ostensione miraculorum, habitat afflatus Sancti Spiritus ne unquam erret a fide Petrus, fidei Magister, coetus omnis fidelium, corpus omnis militantis Ecclesiae Mons Dei est, ad quem appellantur externi, in quo nutruntur fideles, ubi vox clamantis quotidie sonat: « Sitientes venite ad aquas », unde quotidie mittuntur praedieatur Evangelium, docturi omnes gentes, baptizatur omnes populos et omnes tribus et linguis ut adveniant ad dominum Patris, et « fiat unum ovile et unus pastor »; « et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris ». Et ipsa Danielis prophetia de lapide illo, qui abscessus de monte sine ma-

nibus fuit, et iuga colossum, quae contrivit, ae de orbem terrarum Ecclesia Montis enim proeliante rarum, reddente guinem, quo ab rias perplexeris, psalmum: « Dom in die irae sua implebit ruinas, multorum ».

Quis, autem, aut quis stabit manibus et mun-

TYPOT

ILLI, quibus e certa scientia hypotheticis necopraestent illud:

*Humano capitio
Iungere si velit
Undique collati
Desinat in pise
Spectatum adm*

Sic me audiisse qui, cum Sacrorum paginas tali modo matrem creatam introducens, haec, « Et aedificavit I tulerat de Adam, Adam(1)... Quin et triginta cubito

Sed quid antiqui reeens huius gen madvertistis in F patratum? Qui, po fecerit, eum in fa sit familiaribus di quutus, officinae m quae in commentari addens, quod in proxime vulgandu bibus idem carme mittendum esset, ipsius primis stro PP. XIII dicatae, n. V), palam factae in Aegyptum car rursus nos dare cog ignoscant socii, et

FUGA

(Carmen FRA

« Hie sistamus i En sub rupe eav Opportuna q Haec in verba s Sponsam ponit h Cum lactente Mitis vex

(1) Gen., II, 22.
(2) Gen., IV, 15.

24] **FABULAE SELECTAE FONTANII**
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS.

XCVIII. — RHEDA ET MUSCA.

*Serpit per montem, sextili sole perusta,
Ardua, longa, rufis, pulverulenta via.
Par ibi desudat triplex et anhelat eorum,
Ampla quibus trahitur rheda labore gravi.
Inde viri primum iussi descendere, moxque
Matronae, monachi decrepitique senes.
Musca subit, quae robur equis animumque datura,
Hue illuc colitans, bombitat assidue.
Nunc hos, nunc illos ciet atque proboscide pungit;
Ponit in aurigae nare subinde pedem.
Increpat, hortatur, volat ante retroque, nec usquam,
Ardilio cum sit, stare quieta potest.
Strenuus haud alter, dum ferret pugna, tribunus
Instat, Martis opus miles ut omnis agat.
Ire rotas ubi musca videt, sibi plaudit et a se
Haec fieri dicit, dictaque vera putat.
At queritur, nec quadrupedes bene viribus uti,
Nec bipedes: humeris cuncta ferenda suis.
Dum satagit, psalmos monachus de more susurrat:
Orandi tempus scilicet illud erat!
Femina voce melos tenui modulatur: anilis
Naenia nimirum tum recinenda fuit!
Culibet interea canit improba musca querelas
Usque suas, imam quas et in aure sonat.
At iam montis apex appetat, et: — « Otia tandem —
Ardilio clamat — carpere, lassa, queo.
Huc ego, cornipedes, subrex sedula currum;
Praemia iusta mihi reddite, cornipedes.»
Sunt homines qui nos moderari nostraque per fas
Perque nefas ardent: hos mea musca refert.
Nil his impigris, nihil aptius: at nihil una,
Furca ni pellas, intolerabilius.*

XCIX. — MULIER ET LACTIS OLLA.

*Impositam capiti, turgente super pulvillo,
Ollam fert lactis Silvia, dona caprae.
Sandaliis hodie, ne quid remoretur euntem,
Utitur, atque levi nec fluitante toga.
Urbe laeta petit, digitisque micantibus una
Sarcinulae pretium computat omne sua.
Aes quasi iam teneat, certos impedit in usus:
Inde sibi decies comparat ora decem.
Ova tribus subdit gallinis, rite forenda,
Quae totidem pullos, se vigilante, dabunt.
Nec labor ullus erit natos educere pullos;
Ipsius ante fores area iusta patet:
— « Demus — ait — pullos aliquos a vulpe vorari;
Sat tamen atque super, sus ut ematur, erit.
Hic modico noster pinguescit furfure porcus;
Non ita parrus enim, cum fuit emptus, erat.
Quem si vendidero, laridi sub mole gementem,
Implebo loculos aere sonante meos.
Quis retet hinc raccam coem, ritulumque, per herbas
Qui, me teste, noras ludat et esiliat?
Exsilit, hoc dulci velut ebria Silvia visu;
Exsilit, inque solum candida lympha ruit.
Vacea, iuvene, triplex futuraque, susque valeat!
Naufragia die opibus, Silvia, triste Vale.
Rus repetit mulier, quae, ne sibi fuste maritus
Terga fricet, reniam voce dolente roget.
Acta est de lepido iocularis fabula casu,
Silvia cui nomen, Lactis et Olla datum.
Quem non phantasiae vis ferrida lusit, ut umbram,
Corpo pro solidio, credulus arriperet?
Testes qui sapiunt desipiuntque, viri.
Somnia quisque sibi, vigil, aurea fingit; amatque
Fallaci specie, sit modo grata, capi.
Tum meus est orbis, mea res est quidquid in orbe
Eminet: imperium, gloria, gaza, decor.*

(1) Pierocholos ille (quae vox graece hominem amaræbitis significat) a Francisco Rabelais in suo *Gargantua* inducitur uti expugnator arcium inexpugnabilem.

*Ecce meos cedit ante pedes derictus Achilles;
Cedit Alexander Persica regna mini;
Rex ego Delicieae, Titus alter, nuncupor Orbis;
Mille mihi gentes regia sera ferunt.
Ut tamen ad sensum redeo, per ficta vagatus,
Erigilo Davus, Davus ut ante fui.*

C. — PUELLA.

*Sponsum quaerebat nimis ambitiosa puella
Procerum, iuvenem, frontis Apollineae,
Indole mansuetum, generosum, cui neque gazae
Copia, nec lepidum deforet ingenium.
Ardentem, nec zelotypum cupiebat; at equis
Inter Adae natos, undique labo vacat?
Huic Fortuna faret: pulchellam ducere cives
Optant eximii; respuit illa viros:
— « His ego — conqueritur — nubam? Sapiuntne parentes,
Plenos qui natus proposuere procos?
Namque soloecismis patet hic, simum gerit ille
Nasum; nec reliquis gratia maior inest.»
Spretis egregiis, sponsi venere gregales;
Hosque puella statim vertere terga iubet:
— « Num — clamat — grez iste sui me credit egentem?
Talibus haud egeo: sum mihi sola satis.»
Labitur interea tempus, succedit et anno
Annus; at heu! alii non subiere proci.
Cura subit, quae paulatim, eeu dira pruina,
Vastat florenti quidquid in ore nitet.
Nec cerussa tegit rugas: reparare retusta
Tecta potes; vetulas non potes arte genas.
Tum posuit demum fastus annosa puella,
Fidum per speculum nubere iussa cito.
Vir gibbosus erat; quis crederet? hunc sibi legit
Sponsum, gibbosus laeta subire iugum.*

(Ad proximum numerum).

Pontifex seu pere
mortans, seu pedo
ns. Quærerisne quae
In promptu et pul
te Sina, et « Do
onne praeter tem
te Sion? » Et de
bit lex! Nonne
Golgotha? Nonne
nomina montium,
a congregavit. Nec
nte posuit; nec in
At ipsa Ecclesia
a mons est: « Et
praeparatus mons
ur Ecclesia recte
sa habitat eucha
satione Sacramen
gis, habitat ostend
flatu Sancti Spi
fide Petrus, fidei
um, corpus omnis
Dei est, ad quem
nutriuntur fideles,
sonat: « Sitientes
lie mittuntur prae
ri omnes gentes,
t omnes tribus et
um Patris, et « fiat
« et omnis lingua
us Christus in glo
Danielis prophetia
de monte sine ma

ctus Achilles;
a mihi;
uncupor Orbis;
ferunt.
facta vagatus,
fui.

osa puella
olineae,
i neque gazae
enium.
t; at equis
e vacat?
ducere cives
os:
Sapiuntne parentes,
procos?
num gerit ille
ior inest.»
egales;
erga iubet:
ne credit egenem?
ola satis.»
et anno
re proci.
lira pruina,
nitet.
retusta
arte genas.
a puella,
assa cito.
hunc sibi legit
ugum.

nibus fuit, et in vallem descendens ruina magna colossum, quo regna terrae significabantur, contrivit, ac denique mons magnus est factus orbem terrarum occupans omnem, hue reddit ut Ecclesia Montis imagine designetur. Ecclesia enim proeliante, Christus occupat orbem terrarum, reddente Illi per martyres suos sanguinem, quo ab Illo redempta est; et si historias perpexeris, facile intueberis Davidicum psalmum: « Dominus a dextris tuis confregit in die irae sue reges; iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum ».

Quis, autem, ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? « Innocens manibus et mundo corde ».

SENIOR.

TYPOTHETARUM IOCI

ILLI, quibus est aliquis librorum usus, ex certa scientia probe norunt ea interdum a hypotheticis necopinata parari, ut Horatianum praestent illud:

*Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in pisces mulier formosa superne;
Spectatum admissi risum teneatis, amici?*

Sic me audiisse memini de artifice quodam, qui, cum Sacrorum Librorum volumen ederet, paginas tali modo composituit, ut, post Eam matrem creatam arcae Noeticae fabricationem introducens, haec, peregrina sane, tradiderit: « Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; et adduxit ad Adam(1)... Quinquaginta cubitorum latitudine, et triginta cubitorum altitudo illius » (2)!...

Sed quid antiqua commemoro? Nonne ipsi recens huius generis iocum in *Voce Urbis* animadvertis in Franciscum Xaverium Reuss patratum? Qui, postquam aliquot carmina conferit, cum in fasciculos ea redigere solitus sit familiaribus distribuendos, suum morem sequutus, officinae munus commisit circa nonnulla quae in commentario nostro edita erant, carmen addens, quod inscripsit *Fuga in Aegyptum* proxime vulgandum. Cum vero idibus Decembribus idem carmen commentarii formae committendum esset, ingeniosus typotheta noster ipsius primis strophis ultima addit odes Leoni PP. XIII dicatae, iamque apud nos (an. III, n. V), palam factae, praeloque committit; *Fuga in Aegyptum* carmen, idque integrum, hodie rursus nos dare cogens... Ignoscat clarus auctor; ignoscant socii, et valeant... et plaudant!

FORFEX.

FUGA IN AEGYPTUM

(Carmen FRANCISCI XAVERII REUSS).

« Hic sistamus iter: iam nitet Hesperus.
En sub rupe cava, cui cedrus imminent,
Opportuna quieti
Nocturnae penetralia. »

Haec in verba senex, qui pedes iverat,
Sponsam ponit humi, quam (pia pondera)
Cum lactente Puello
Mitis vexerat hinnulus.

(1) Gen., II, 22.

(2) Gen., IV, 15.

Illos hostis atrox egerat exsules
Herodes; profugis sed Pharaonica
Tellus, ut seniori
Iosepho, patet hospita.

Dormi, sacra Trias! tuta sub aegide
Supremae Triadis; tutu sub angeli
Duetu, quo monitore,
Oras tendis ad exterias.

Dormi; sique truces forte satellites
Herodis subeunt, hos aget in fugam
Latro, cui Paradisi
Pandet Golgotha ianuam. (1)

Dormi; nec placido lugubre quidquam
Iumenta timeas; herba famelico
Crevit; parque leonum,
Custos, pasqua circuit.

Iam tu, diva Parenz, ubere Filium
Nutri virgineo: gutta vel unica
Laetis lactea reddet
Antri saxa nigrantia.

Hoc olim niveum visere gestient
Antrum Christicolae, qui pia cautibus
Infingit, madefacta
Gratis flentibus, oscula. (2)

At dum lassa sopor corpora recreat,
Dum subridet agris luna silentibus,
Ros dum stillat, et aura
Dum mulet levis arbores:

Vertex ille cedri, cuius in ambitu
Stat rupes, subito sidera tangere,
Et delapsa videtur
Caelis edere murmura.

Truncus, sidereo lumine fulgidus,
Succum purpureum, sanguinis aemulum,
Exsudat; canor una
Hie suavissimus insonat:

« Flecte ramos, Arbor alma,
Disce iam lentescere;
Quas dedit natura fibras

Duriiores, exue;
Sterne mollem, dira passo,
Conditori lectulum.

Fructus ex te pendet, unde
Vita prodit mortuis;

Naufragis in te creatur
Arca, mergi nescia;
Exsules infers beatae,

Porta caeli, patriae. » (3)

Ut cantus siluit mysticus, illico
Erupit volverum festa canentium
Vox; aurora parabat

Aethram tingere purpura.
Infans evigilat: qui sua, dormiens,
(Vivae more crucis) bina tetenderat
Ulro brachia, binas

Ulro in vulnera palmulas.
I, divine Puer, quo tua te rapit
In sonetes homines fervida caritas!

Nili cresce sub oram;

Crescat copia sanguinis,

Quem fundes, ubi vix cedrus in asperas
Haec dissecta trabes, stabit in arduo,

Crux altissima, Monte,

Nobis unde patescere

Iussisti Superum limina: limina

Terris clausa diu; nunc neque Magdalae

Interdicta dolenti,

Latroni neque suppliei.

(1) Vetus apud Orientales fama refert, Dismam, alterum ex latronibus cum Christo in crucea actis, quem surorum quidem scelerum poenituit, olim sacrae Familiae in Aegyptum fugienti opem tulisse.

(2) In deserto tractu, qui inter Palaestinam atque Aegyptum facit, ostenditur viatoribus species in carenti rupe cavatus, qui a *Lactatione* nuncupatur.

(3) His similia, eodemque metro trochaico, cecinit de Cruce Christi Venantius H. Fortunatus. — Clar. F. W. Weber in suo carmine *Die Ruhe unter dem Baum*, inducit similiter Sacram Familiam sub arbore, de qua Crux Christi formaretur, acquiescentem.

SERPENTES

ET VENENA SERPENTIUM.

IN URBEM, iam fere annus est, quidam adveniens, magnum carrorum agmen, impedimentorumque secum tulit, nec mora fuit quin in principe via, quae a Capitolio ad Flaminiam portam producitur, conducticias aperiret aedes, in quibus peregrina quae adduxerat videnda prostarent.

Laudabunt alii claram Rhodum, aut Mitilenem ...
huic, proh singulares hominum indoles!, huic serpentum genus omne laudabile visum est; nec modo laudabile, sed etiam tale, quod omnes amarent, quod conspicere cuperent, cuius pretio conspiciendi potestatem copiamque pretio quaerent, quod..... Sed

..... trahit sua quemque voluptas.

Coram omnibus

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine
Laocoonteus draco, ingens, positus erat, qui nexibus anguineis complexus tigridem toto hisu re
pugnantem et

conantem plurima frustra,

totoque rictu hiantem, exertisque unguibus tentantem supremam, laceratus et ipse suffocabat nodis, dentibus asperis mordebat. Horribilis visu, quamquam uterque exanimus; at olim serpens ille immanis vixerat, tigris pariter vixerat; uterque atroci illa in pugna perierat, quippe ad opem tigridi ferendam horrendis accutis expergefactusque sibilis et rugitus et ululatibus herus accesserat, et pithonem furens pugione ad mortem percusserat, nec tigridem tamen a morte servaverat. Pro utraque belua stans herus homericum duellum illud narrabat; ingrediebantur omnes; ingressus et ipse sum. Proh Superum atque hominum fidem! Latissime spatiantur aula, et circum dispositae, non absurdo quidem ordine, per parietes capsae, armaria, valido vitro desuper communata, nonnulla etiam ferreis cratibus, serpentibus, hydris, colubris, cheleydris, anguibus, cerastis, viperis, aspidibus, crotalis, omni denique specie serpentinae generis plena. Cuique speciei, unicuique suum domicilium; nam ex his plerique ita atroces, ut inter se mutuis saeuentis vulneribus saepius cum socio perire malint, quam in pace diu vivere simul. Lacus insuper tepens erat lacte ad dimidium undans, in quem ferrea forceps vi perae mittebantur; nigrae, horribiles adnatae. Quatuor, postquam hae balneum nutrimentumque una suscepserant, crotali submersi sunt...; narrabatque dominus unum ex hisce, nescio quo furore correptum, emersisse repente, exsiluisse, et stragem veneno immedicabiliter facutum fuisse, ni prudens custos quotidie veneno dentes execrabiles privasset. Ubi vero suis redditum locis fuerunt, immensi duo angues, Pitho maculosus alter, alter Serpens, quem Boam Constrictorem appellant, in lacteas illas delicias infusi sunt. Brevi tamen, et ubi capsae restitutas uterque propriae, per singula armaria visuri desuper a vitrea fenestra processimus, omnia et singula enunciabitibus circa venena, mores, regiones unicuique idoneas, patrias, cibos, vitam, generationemque custodibus. Saperdae plures, qui mecum forte erant, casu enim comites acciderant, lamentabantur, et nos miseros, infe

licesque Italicas conclamabant regiones, quod talibus carerent habitatoribus, insigni bestiarum huiusmodi varietate privatae; ego gratias alto corde agere contra providenti Deo, qui italicam regionem hac peste, hac pernicie, hisce malis carere voluisse, horumque expertem fecisset, et immunem servaret adhuc.

(Ad proximum numerum).

P. ALEXIS.

ANNALES.

Chamberlainii iter in Africam — Mauritanica seditio — Venezuelanum discrimen — Lamsdorffii administri iter — In Somalos expeditio.

QUAE exacto abhinc anno summo stupore omnes perculissent, ea contigisse re vidimus impossibilia pene, atque absurdia. Chamberlainius per ultimas Africæ oras ubique ab ovante turba quasi liberator et servator patriæ vindexque regni excipitur, in quem antea tanta odia tantique livores deferbuerant. Durban cum portum ille appulsus, uxore comitante, descendit in litus, plaudunt circum multitudine densa cives. Salutantibus responsurus obtestatus est ille ad pacem nectendam firmius atque roborandam omni ope sese venisse; venisse quoque ut Britannicae gentis amicitiam optimam assereret, ut inter utrumque genus, Batavum et Anglicum, plenam concordiam foyeret, ut odia quae hactenus utraque ex parte bellum concitarunt radicem tolleret, ut pacis regnum instauraret, commerciaque restitueret et artes. Deinde iustrare civitates omnes et urbes tum Anglicam per coloniam, tum per Batavieae gentis litora instituit, quae ascensum novorum pignus utrique populo fierent. Haec, si modo non ut opportunitati serviant, sed si ex animo veraciter dicta fuerint, sicut ineuntis anni faustissima vota auspicamur optime.

*

Mauritanici quoque minaces eventus unde iamiam perturbatam nostrarum gentium cordiam credidimus, flexa paulatim in melius fortuna pessimis praesagiis longe meliores sunt facti. Attamen perduellum copias, fusis Imperatoris militibus, Fez usque urbis capitis ad moenia processisse certum est. Incertum tamen de Imperatoris fratre nuncium, enarrantibus aliis ipsum in pugna necatum, aliis victorem contra perduellem exercitum ipsum moderari, aliis adserentibus unam spem mauritano regi in tanto discrimine superesse, ut a fratre contra perduellem auxilia acciperet.

Trepidantibus tum nostris gentibus atque ad invicem sese aemulantibus ne quis forte populus potissimum sibi utilitatem ex imperii ruina luceretur, tum Lutetiae, tum Londini, maxime Madriti habita summorum magistratum multa colloquia sunt, resque ita dispositae, ut peregrinorum tutelae, qui regnum incolunt, provideatur, et paci simul et Europæ concordiae.

Nihilominus bellica navigia designata et legiones quae, praesertim ab Hispanico litora in adversam forte terram descendenter, et Ceutam urbem et Ibericam coloniam tuerentur. Iberis immo tradebant curam fuisse relictam, si forte res imperii funditus everteretur, de restituenda concordia et ordine civili. Id tamen haud necessarium fuit, conversa sensim in melius fortuna: quia nunciatum est perduellum cohortes, sive ob denegatum sibi vel coaretatum ius agri vastandi, sive ob metum Imperatoris, coram urbe capite adductas, in desertionem hue vel illuc plurimas aufugisse. Vicissim a dissipatis provinciis auxilia equitum peditumque ad regem missa, et nutantem thronum hisce praesidiis firmatum. Interea naves Anglicæ, Gallicæ atque Ibericæ litora coram Mauritano anchoris innixa stetere paratae ad eventus.

*

De Venezuelan contentione, acquiescente ipso praeside Cypriano Castro, arbitrium est ad Hagensem coetum delatum. Interea tamen Germanorum pariter atque Anglorum naves La-Guayra et Cabello portus obsident, circumque mare perlustrant, omniaque navigia, quae petere litus contendant, vel commeatibus, vel bellicis onusta mercibus, captiva secum dueunt et expoliant. Inde nunciant praesidem contra minitatum esse, se Anglorum sive Germanorum incolarum bona omnia usurpatum atque fisco addictum statim ac ob obsidionem diuturnam commeatibus se suosque deficere viderit. Iamque carbonis potissime urget egestas, ita ut machinae omnes passim, deficiente vi motiva, a labore cessaverint, breveque, eae quoque unde nocturna electrica illustratio gignitur, destituto spiritu quiescent, et cives tenbris obvolventur. Quinimmo, cum judicialis ritus Hagensi tribunali proprius satis tardus agnoscatur, haud cito quidem contentionem sublatam audiems.

*

De periculis quae in nostram pacem domi insurgere creduntur e seditionibus Macedonum Lamsdorffius, Russus ille exterarum rerum supremus curator habuisse colloquia cum Goluchowski Austrorum magistratu dicitur, atque cum ipso Austrorum Imperatore. Iis colloquiis sperare iuvat ea ad rem fuisse statuta remedia, quae renovatas continenter seditiones coereant, quaeque periculum longius abigant, de contentione illa excitanda et aemulatione, quae undique circa Turcarum regni oras in gentibus latet. Quoniam vero rem proprius attinget, id memorandum quoque est, ad instrumentum novissime ab Anglis bellum in Somalicum barbarum falsum prophetam, Menelikium quoque regem Abyssinorum arma esse conlaturum, iamque Anglos tribunos profectos esse ut nigritas milites tutiori via deducant. Italis inter haec, dum per eorum ad Zeila sinum arma et equos Angli dedueunt ad bellum, Tripolitanum litus, quasi praedam et praemium, ex Turcarum hereditate non sine adulazione despondent.

POPPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia post innovatam legem de publicis ludis, regalesque litteras perfectas feriae municipum coepit.

In Germania post ratas certas regulas ad libertatem et arbitrium disceptationum coepta, de re vectigali novam rogationem a Kardoff oratore latam municipum legati suffragiis approbarunt.

In Graecia regali oratione inauguratus novus legatorum conventus est, in quo praesertim commendatum oratoribus populi ut publicam pecuniam non sine iudicio maturo erogent.

In Hungaria de re vectigali et commerciali habita pariter disceptatio, urgente praesertim Kossuthio, ut iura agricolarum ac vinifera commercia administrari tuerentur praecepit ab Italorum aemulatione; cui interroganti satis fuse Colomanus Szelli respondit sese sperare fore ut de commerciis foedus feliciter atque optime cum Italies renovetur.

In Italia de re commerciali, cum gentibus praesertim triplici foedere vicissim iunctis componenda, Prinettius, rerum ad exterios summus curator, orationem habuit, ita ut nimios metus atque anxietates legatorum nostris commerciis timentes satis sedaret.

In Rumenia qui aerario preest Carp administer fusam orationem dixit, ut summarum expensarum a se praenotatam ratam patres haberent quod reapse summis suffragiis est consecutus.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

Ardeo candescens: digitis me tangere noli!

Sumere si me vis, forcips utere ope!

Inseritur mihi vocalis? Me fervidus aestus

Illico destituit, iam rigeoque gelu.

II.

Multiplicare voto. Mihi litterulam adde: parentem Thyrsigeri Bacchi cernere fas tibi erit.

FR. PALATA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet MINUCII FELICIS opus, quod inscribitur:

OCTAVIUS.

Aenigmata an. V, n. XXII proposita his respondent:

1) Colu-mna; 2) Plaga.

Ea rite soluta miserunt:

Ad. Huza, *Grybovia*. — D. Le Provost, *Briocen*. — A. Mesek, *Travnik*. — Aem. Gschwind S. P., *Pragae*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Rich. Malotta, *Bzozow*. — C. Tranchese S. I., *Neapol*. — Alois. Battisti, *Marauta*. — Biblioteca Seminarii Monregalensis. — Georg. Maurer, *Bonna*. — M. Vidal, *Palma in insula Maiorica*. — V. Hertel, *Mendhusio*. — Am. Robert, *Marieville in Canada*. — Ad. Skrzypkowski, St. Lawinski, *Steinicee*. — C. Perazzi, *Mangalore in Indis*. — Ios. Walter, *Neo Eboraco*. — Eug. Burg, *Argentorato*. — F. Arnori, *Mediolano*. — B. Kansen, *Torah*. — Collegium Scholarum Piarum *Stellae*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Alois. Cappelli, *Senis*.

Sortitus est praemium

AMEDEUS ROBERT,

ad quem missum est opus, cui titulus:

TH. VALLAURI

DE RE EPIGRAPHICA.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

LE LAUDI LATINE
IL CANTICO DEL SOLE
DI
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello, praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latine* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, et illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Canticum* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum hunc Iulius Salvadori, litteris tradendis in Romano Athenaeo doctor egregius, maxima editit cura, ac Romae apud commentarii *Vox Urbis Administratorem* venit L. 0.50, in pauperum levamen.

FIDES,
QUOD MUSICUM ORGANUM
STRADIVARIUS
Cremonensium artifex celeberrimus confecit,
Romae veneunt.

Negotium agitur apud *Vocis Urbis* administratorem Romae, via Alessandrina, 87.

PER ORBEM

MEDIA orientis anni augurali sacra nocte, plenis poculis flavo nitescitibus mero me quoque fateor, lectores candidissimi, gratae fortunae libasse, omniaque tum mihi misero, tum vobis omnibus, humanitate, felicitate fausta prospera laeta omnia fuisse adprecatum. Iamque, nisi disperdant humana vota aquilones, innovato aevo maturabunt nova fata tum commentario maiorum lingua togato, tum sociis humanissimis, qui una, ut eundem honorem sermoni latino restituant, conferunt opem.

At non regia mihi aula est, neque thesauri, quibus ea possim dona late dividere, que tantam benevolentiam digno cumulent praemio. Hodie profecto in video Russorum Caesari, qui non modo cuique sua ex gente nato strenas munificas elargitur, sed et aulicis omnibus asselis, et scholaris ex imperiali comitatu foecundo penu sua dona addicet: armillae sunt aureae, torques, catenulae, annuli, quingentae denique nictianarum fistularum capsulae, quas illi Diis immortalibus veluti gratas ex animo hostias, comburentes felici Caesaris vitae tamquam totidem sacrificiū thurifabant. In video Eduardo Anglorum regi, quamquam us uxori carissimae ex quo primum duxit ad aram, nihil aliud quam odoratarum pulverum sive lymphanum urceos donat; sed addidit hoc anno pelliceam vestem rarissimis belluis detractam, et aureum monile gemmis rutilum et coruscum.

Belgarum, qui modo fauste sospes sicarii e manu evasit, Leopoldus rex Bruxellensibus manibus contexta mollia strata ad carissimos omnes mittit; Batavorum ad finium regina Vilhelma pieta suis ipsis manibus hinc teola, vel sericos donat calceos; Iberiae rex bellus et aves rarissimas solet dono mittere; Turcarum imperator lignis odorantibus exstructas capsules largitur cuppediaris cibis refertas, quas medias monili aureo plerumque condecorat. Huic proximus censendus sane Mechleburgensis dux, qui artocreatu anserum epatus crassa solet optimo consilio offerre. At primas iure maximo Graecorum rex Georgius obtinet, una cum Saxono socio, quippe qui gloriae avitae felicissimi regni non immemor, Bacchi munera, quae exquisitissima habet in caveis, eaque rura sive flava, dulcia vel meracia, lae-

tissimum novi anni auspicium una secum media nocte bibenda amicis tradit.

Rem non persepar longius, etsi propitiam magis occasionem mihi, excubias agenti, fatum benigne ultro dederit videndi inter primos strenas aureas ab Austrorum Caesare eiusque Vindobonensis civibus, nonagenario Leoni, ob emenum feliciter quintum Pontificatus lustrum, donatas. Est illa aurea moles satis magna, ligno insculpta ac suavissimam Boni Pastoris effigiem referens, qui suas oves ad ovile secum adducit. Aureum simulacrum marmoreo innititur solio ex africano marmore exsculpto atque perpolito. Alterum vero simile, ad fundamentum appictum, binum aureum numisma offert, cuius in altera facie ipsius Pontificis expressa ad unguem rutilat imago, in altera vero Vaticanii tholi moles aeterna coruseat.

Si modo iuvt e regalibus donis ad humiliora descendere, enarrem vobis, lectores, quot serbenti mihi insonenter horrendo strepit tubae, buccinae, cornua, tibiae, conchae, additaque his tympanorum ferreas bombus cymbalorumque, quos percuntur numquam fracti viribus totam per noctem adulescentes, non ex plebe tantum, sed etiam equestribus nati ordinibus, qui Urbis vias fragore hoc novo quotannis collustrant, quoadusque ea in caelis illucescat dies, quae ad natum Redemptorem post coruscant stellae comam magos reges adorantes adducat. Hoc namque more, maiorum illas frequentissimas ferias, choreas, bacchanalia servasse memoria quadam ultimi nepotes creduntur, dum pueri gravi e somno excitati aures per tenebras obtundunt, ut audiant forte, num aliquis spiritus, benignus ille quidem et munificus, per fenestras domum ingrediatur, munuscula, dulciaria, bellaria, omnia denique gratissima primae aetati allaturus. Hac fide memoria puerorum nostorum colit ad vagientem divinum puerum dona regalia oblata, thus, aurum myrrham.

Quoniam vero funesta repete numquam mihi pareunt fata, plenaque luctus etiam laetissimis hisce diebus effluit vita, referre aliquid minus gratum cogor et hodiē. Atque succurrat id menti praesertim post perfectas solemnis-

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur
venit singillatim L. 2.50
apud comm. VOX URBIS administratorem.
SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

KIBER (vulgo "ALBUM")
praecipua Urbis referens, pulchritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eumdem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

simas illas ferias per Indorum plagas celebratas a Curzon, optimate illo regiis vicibus fungente, cum, anno ineunte, regem novum Eduardum subditis regulis pompa maxima coram conclamavit. Iuvenis exitium memorandum dieo, qui ut Indiae religioni obsequeretur, utque ritibus illis inferni morem gereret mortem sibi concevit. Iamdiu quidem infelicissimus ille occultis disciplinis atque tenetebriosis mentem studiumque contulerat. Lutetiae vivens, ubi facile insana multa aggreduntur cives, ille quoque in officinam miraculorum suam converterat domum, atque longos ibi dies traducens cum mortuorum spiritibus ut colloqueretur conabatur. Cum tandem ad trigesimum supra tertium annum pervenisset, brevi se morte multare constituit, quam somni persimilem Indie incantatores assumunt. Constructa super lectulum machina ut immobile corpus sibi constringeret, urceolum in pariete super caput appendit, unde in os sibi acenti guttatum chlorophormii lympha distillaret. Corpus balsamo illitum a corruptione quasi loricatedum defendit; mox epistula nuncivit ad amicum ut post decennium ad sese expurgandum veniret. Ille contra, perfecta re, amentia ductum persentientis amicum, eucurrit statim; at iam venenata lymphae pariterque immobilis rigoris ea vis fuerat, ut morte quidem, sed perpetua, sed aeterna miserum investigatorem interfecisset.

Haec dedaleis ausibus anni exordium comparavit; haec sapientia amens laboris fructum maturavit.

VIATOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

ALFIO INCONTRO professore di lettere italiane e latine. Nuovissimo metodo teorico-pratico per apprendere la lingua latina. Volume I. Grammatica elementare. — Aug. Taurinorum edid. Carolus Clausen, MDCCCCIII.

JOANNES VALLARINUS. De Caii Crispī Salusti archaica et vulgari scribendi ratione. — Romae, e Coop. Polygraphica Editrice, MDCCCCII.

P. CESARE A. DE CARA S. I. Di alcuni criterii incerti nella paleontologia, archeologia e storia antica. La scoperta delle tombe nel Foro romano e il criterio cronologico. — Romae, apud comm. La Civiltà Cattolica, MDCCCCIII.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Pretium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARI "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

Qui pretium ut supra miserit infra Ianuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

QUI NOVOS DABIT SOCIOS

eligit insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae suae, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italiam ubique ad Libell. 7, 50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1½; Rubl. 3; Flor. 3½; Coron. 7½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diritorio Reipublicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prout voluerit ac significaverit; usque, cœu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis pretium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi *gratis* Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.